



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 4. Cur honoris appetitus homini insit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

tie promisit, quiq; glorificantes se glorificat,
iuxta illud: Quicumq; glorificauerit me, glo- 1. Reg. 2.
rificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt 30.

ignobiles. Aliquando tamen etiam in hac vi-
ta amicos suos honorat; aliquando finit
etiam ab alijs honorari; aliquando hunc
fugitium honorem illis negat, subducit,
succidit, semper iustis de causis. Neque
enim Deus vlli mortalium, ob quamcumq;
virtutem, debet honorem temporalem. Et si
enim, vt D. Augustinus ait, *illos honorat &* S. August.
diligit, qui illicita fugiunt, sæpe tamen, sal- serm. 64.
tem ad tempus eosdem finit aliqua ignomi- de tem-
niæ nota infamari; vt innocentem Ioseph, pore.
& castissimi nominis feminam Susannam,
qui etsi illicita fugerint, tamen eos Deus
passus est de adulterijs infamari, vt patien-
tiæ laus accederet ad castitatem. Quemad-
modum enim aromata vehementiùs fra-
grant, cùm mouentur, aut teruntur; sic
virtutis fama latiùs diffunditur, quando
rebus aduersis exercetur. Vnde quidam, per
ignominiam eunt ad famam bonam: neque
est parua gloria, infamem simul patienter
fuisse, & innocentem.

§. IV.

Cur honoris appetitus homini insit?

Nasci-

S. Thom.
1. 2. q. 2. a.
2. ad. 2.

Nascitur itaque hîc quæstio, cur tantum voluerit Deus à natura hominibus honoris appetitum ingenerari? Cui D. Thomas respondet, omnes naturali beatitudinis suæ desiderio teneri, felicesque esse velle, si ex toto non possunt, saltem ex parte. Cùm igitur beatitudo sit excellentia quædam, & quidem maxima, neque honor aliud quid, quàm testimonium excellentiæ, fit vt homines honorem maximè desiderent, eoque vehementissimè delectentur, quia ex eo testimonio iudicioque, se se felices & excellentes esse intelligunt. Qua de causa etiam potissimè volunt à sapientibus honorari, quorum iudicia putant minùs errare, esseque veriora. Ersi autem per peccatum debilitata est hominis natura, non tamen est extirpata. Sicut igitur aliquod desiderium beatitudinis, ita & quidam amor honoris mansit, in eo tamen & ipse corruptus, quia sæpius tendit in fugitium, quàm permansurum honorem; neque eo semper modo, aut fine tendit, quo deberet tendere. Quamuis nonnumquam, sapienti Numinis prouidentia, sicut ex ipsa peccati permissione, ita etiam ex prauo honoris appetitu, multa bona suam sumunt occasionem. Multi etiam,

am, dum eum vincunt, diabolum vincunt; multi dum ab eo ordinato, vel etiam inordinato reguntur, peccata horrent, ne bonum apud homines nomen amittant: multi opera quædam suscipiunt laboriosa & dura, quæ honoribus adiunctis molliuntur; multi honoribus, velut pueri crepundijs, placantur, & sinunt se se velut melimelis fatiari: dum enim gloriam æternam non merentur, recipiunt in operum suorum mercedem gloriam temporalem: multi excitantur ad artes inveniendas vel exercendas; multi ad virtutes ipsas tandem recto ordine colendas; multi ad amicitias conciliandas, & gratitudinem exhibendam; multi dum alios honorant, Deum ipsum in alijs honorant. Denique per hunc honorem ad æternos honores extimulantur. Quæ omnia explicatiùs ostendam.

§. V.

Vana gloria atque honoris causâ facta, aliquando in Dei honorem conuerti.

I. Ad captandas vanas hominum laudes quidam sibi statuas posuerunt, quæ postea in Diuorum conuersæ sunt simulachra. Vestierunt se multi & multæ auro & argento, vt coram oculis humanis splenderent, sed